

quod ab hoc uno pœnitentis actu, plerumque totum sacramentum denominetur *confessio*, vel *confessionis sacramentum*.

Confessionis vox arctatur aliquando ad solam sacramentalem expressionem peccatorum. — Exomologesis quid.—Quod autem aliquando vox *confessionis* arctetur ad solam sacramentalem expressionem peccatorum, est extra dubium. Imo hic est maxime proprius vocis usus, qui per synecdochem laxatur, cum ea vox ad totius Sacramenti significationem extenditur. Nec dissimiliter apud Græcos nomen *exomologeseos*, quod aliquando pro integro sacramento usurpatur, solam quandoque peccatorum refectionem sacerdoti factam designat, et quidem maxime proprie, ut apud Suidam videre est verb. *ὁμολογία*. Quod autem vox *exomologeseos*, universum pœnitentiæ sacramentalis ministerium sæpe complectatur, manifestum est ex Tertulliano, lib. de Pœnitentia, c. 9. At quod alias nomen illud cadat tantum in externam peccatorum expositionem apud sacerdotem, liquet ex illis verbis Tertulliani, l. de Orat., cap. 6: *Exomologesis est petitio veniæ, qua qui petit veniam, delictum confitetur*. Sanctus item Cyprianus, qui Tertullianum solet exprimere, lib. de Lapsis, num. 98, eodem modo usurpat *exomologesim*, cum ait: *Apud sacerdotes Dei, dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientie faciunt, animi sui pondus exponunt*. Item habetur ex Diadocho, lib. de Perfectione, cap. 100. Liquet de duplici notione vocis *confessio*, quam priore loco enucleandam susceperam.

Duplex notio hujus vocis epistolaris.—Vox posterior, nempe *epistolaris*, duplici item notione fœta est. Nam inhærendo extimo cortici vocabuli, sonat expositionem factam absenti, intervntu litterarum, sive *epistolæ*, qua homines, qui semper sibi adesse non possunt, artificio plane mirabili, loquuntur manibus, ut ait Gregorius Nyssenus, libr. de Homil. opif., capit. 8. Exaratam enim manu chartam transmittentes, sensa animi sui aperiant procul dissitis; quod S. Basilius, epist. 55, quæ est ad S. Ambrosium præclare suspicit, et ipse S. Ambrosius scribens ad Sabinium, epist. 41 et 45, ac S. Hieronymus, epistol. 43, quæ est ad Niceam Aquileiensem, nec non Julianus Apostata scribens ad Eugenium philosophum. Quod ergo charta, sensis mentalibus scribentis gravida, ad alium transmittatur, inde ejusmodi charta, a verbo Græco ἐπιστέλλω, quod *mittere* significat, dicitur *epis-*

tola, id est, *missa*, ut interpretatur S. Isidorus, lib. 6 Orig., c. 8; vel *missiva*, ut loquitur Cassiodorus; et ita cum Errico Puteano observavit Hermannus Hugo, lib. de Prima scrib. orig., c. 13. Unde γραμματέφοροι, ut Græci appellabant (hoc est, qui ex officio litteras gerebant), dicti *missi*, aut, ut apud Festum, *gerones*, vel *mittendarii*, ut loquitur Theodoricus, apud Cassiodorum, libro 4. Quanquam postea vox *missi* extensa est ad quemcumque a principe ablegatum, etiamsi non esset merus gero litterarum; ut sæpe habetur in Capitularibus, et Pithæus inibi in Onomastico annotavit. Idem est de voce *missatici*, quæ sæpe occurrit in Flodoardo, nominatimque l. 2 Histor. Rom. Eccl., c. 18 et 19, et l. 3, c. 26 ac 28. Sicut etiam vox *mittendarii* ad milites Palatinos est aptata, ut videre est lib. 3, 7 et 8, Cod. de palat. sacr. largit., notatque Connanus, l. 4, c. 15, n. 4. Juxta hanc ergo *epistolæ* notionem, *confessio epistolaris* ea dicitur quæ est transmissa ad sacerdotem absentem, datis ad eum litteris continentibus exarata pœnitentis peccata.

Varie rationes occultæ invisibilis scriptio-
nis.—Verum, quia epistola chartacea, aut cuicumque alteri inaniam materiæ commissa, patet curiositati eorum in quorum manus potest incidere, et resignari ac perlegi, variæ excogitatae sunt rationes, occultæ aut etiam invisibilis scriptio-
nis; sive ratione materiæ occultæ cui includuntur vel inscribuntur epistolæ, sive occultatione tabellariorum aut itineris quo transmittuntur, sive ratione materiæ qua efformantur characteres, sive artificiosa transpositione litterarum, sive adhibitione notarum atque zifrarum pro litteris; de quibus omnibus occultandæ scripturæ modis ad avertendos curiosos oculos excogitatis, luculenter Hermannus Hugo, laudati operis de Scribendi origine, cap. 15, 16, 17, 18. Neque tamen adeo sufficienter his viis prospectum est securitati occultationis arcanorum, quorum conscii faciendi sint absentes, quin curiosi sæpe pervadant ad latebras tam affabre occultatæ transmissionis. Nam sagacitas humana non raro per omnia illa rudibus inaccessa se infert, et quævis materiæ aut rationis scribendi adita penetrat. Itaque in rebus gravissimis, quas plane impervias esse et inexploratas oporteat, adhibentur litteræ vivæ. Sic voco internuncium fidum, non cujus corpori inscribantur characteres, ut factum est in inscripto mancipii capite, sub capillis primum rasis, ab Histieo, apud Polyænum, lib.

1, et Gellium, lib. 17, cap. 9. Et faciendum etiam auctor erat Naso, cum diceret:

*Hoc caveat custos, pro charta conscia tergum
Præbeat, inque suo corpore verba ferat.*

Non igitur hæ sunt quas voco *litteras vivas*, usquequaque curiosis inexploratas; sed quibus arcanum ore tenus committitur, fido internuncio ac secreti tenaci, quem nulla ars vel vis humana ad secretum pandendum possit adigere. Quis enim fidi hominis, cui arcanum tuum credideris, pectus aperiat, si is reserare renuat? Nulla humana curiositas, quibusvis instructa clavibus, aut armata minis, vel securibus, eo penetrat. Testis [Attica metrix, quæ, juxta Tertullianum, cap. 50 Apostol., carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comestam, in faciem tyranni sævientis expuit, ut expueret et vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset]; quod item a Zenone Eleate factum, ne fides arcani commissi inter tormenta vacillaret, scribit Laertius. Itaque quantum libertas humana est insuperabilis cuicumque creatæ virtuti (ut propterea libertatem Antonius, lib. 8 de Vita sua, n. 41, *arcem munitissimam* nominet, *cujus*, ut lib. 11, num. 30, ex Epicteto ait: *Nemo esse latro potest*), tantum securitatis est in arcano litteris hisce vivis commisso, si internuncius ipse non se resignet atque recludat.

Hinc habetur, præter secundi generis confessionem epistolarem veluti emortuam, quæ fit per apices chartis commissos, dari aliam viva epistola comprehensam, quæ scilicet fit per internuncium, cui viva voce relatu pœnitentis peccata, et voluntatem consequendi de eis suo tempore absolutionem, committatur absque scripto ministerium prædictum. Hæc tamen confessio per epistolam vivam, non nisi materialiter differt a confessione sive expressione peccatorum, epistolæ inanimæ commissa; et plane eodem modo de utraque hac epistolari confessione est pronuntiandum, quoad validitatem aut honestatem.

CAPUT II.

QUOD CONFESSIO SUMPTA PRO INTEGRO PŒNITENTIE SACRAMENTO EPISTOLARI ESSE NON POSSIT, CERTA SENTENTIA.

Ferendum est judicium de duplici confessione epistolari superius proposita; nempe

et de ea qua integrum sacramentum fieret per litteras, et de ea qua expressio sola peccatorum litteris fieret, quamvis absolutio et consummatio sacramenti non fieret per litteras, sed viva voce obiretur inter sacerdotem et pœnitentem præsentem. Priorem confessionem nunc expediam.

Referuntur auctores qui integrum pœnitentiæ sacramentum confici posse per epistolam censuerunt.—Integrum ergo pœnitentiæ sacramentum confici posse inter absentes, per epistolam vivam aut mortuam, multorum veterum fuit sententia; ita enim visum esse referunt Alexandro Alensi, p. 4, q. 77, membro 4, art. 5, § 9, sed ibi nihil invenio. Idem sensit Richardus in 4, d. 17, art. 2, q. 5; quamvis enim talem confessionem negat esse necessariam, supponit tamen esse utilem. Subscripsit Adrianus in 4, tr. de Confessione, § *Sed igitur*, et alii apud Scortiam, in Constitutiones Pontificum, Theoremate 404, sed et plerisque Theologis in Concilio Basiliensi non displicuisse eam doctrinam, testatur S. Antoninus, 3 p., tit. 5, c. 12 et 21, ac Sylvester verbo *Confessor* 3, et alii.

Prætermisiss autem multis obscuris nominibus, quæ pro hac sententia adduci possent, fuere in ea plerique magni nominis Thomistæ, ut Paludanus in 4, d. 17, quæst. 2, art. 1; Petrus de Tarentasia (postea Innocentius V), in summa de Confessione, quem adducit et sequitur Raynerius in Pantheologia, part. 1, tractatu de Confessione, c. 9: sanctus Antoninus, 3 part., tit. 14, c. 19, § 9, et tit. 17, cap. 12 et 21; auctor Margaritæ Confessorum, cum agit de modo quo debet fieri confessio; Turrecremata, in cap. *Quem pœnitet*, de Pœnitent., dist. 1, art. 2; Sylvester, verbo *Confessio* 1, quæst. 15, et verbo eodem 3, et verbo *Confessor* 4, § 6; Fumus, verbo *Confessio*, n. 23; Tabiena, eodem verbo, num. 34; Petrus Soto, lect. 11 de Confessione; M. Penna, apud Henricum, lib. 2, c. 2, § 7, in eventu absolutionis collatæ præsentem, absque jurisdictione, postea comparata cum jam procul abest pœnitens, qui putetur bene dispositus. Omnes hi auctores fuerunt ex S. Dominici familia, in qua hanc sententiam primum ortam esse et ibidem adolevisse, ac denique in ejusdem familiæ sinu extinctam atque sepultam esse, dixit Fagundez, lib. 2, in 2 Eccles. præcept., c. 10, num. 4, quibus nobis bilem concivit Petro Fay, Ordin. Prædicat., in addit. ad 3 part., disput. 3, et ex multo lenioribus quæ leguntur apud Ægi-

dium Coninc., 3 p., disp. 4, dub. 10, efferbuit quoque Hyacinthus Coquetius, dissert. de hoc argumento, c. 3 contendens vix ullum e Thomistis in hac sententia fuisse; id quod etiam sollicitè præstant Franciscus Avila, dissert. de Absolutione per litteras, c. 19, 20 et 24; et Didacus Alvarez 1. 2, disp. 80, in difficultate appendice (sic enim grammaticatur), num. 47 et 48, ac 51 et 52; sed quantumcumque nitantur Auctores adductos (dempto Petro Soto, pro quo alii dant manus, solus Davila, c. 23, abrogato ei opere, salvum facit), alio flectere et contrariæ sententiæ adjungere, frustra laborant; quia codices omnes non sunt aboliti, et inspectis locis quæ ex eis allegavimus, perspicue habetur eos sensisse quod diximus. Damnantur vero magnæ exoculationis omnino multi, etiam e Thomistis, qui eos aliquando allegarunt pro sententia de qua agimus.

Ex schola D. Thomæ, qui in eadem fuerint sententia. — Extra scholam D. Thomæ, fuerunt in eadem sententia Navar., in Manuali, c. 21, n. 26, et cap. 26, n. 14 (quanquam postea cap. *Fratres*, de Penit., dist. 5, num. 94, id retractavit); Michael de Palacio, in 4, dist. 17, disput. ultima, sub finem; Vivaldus, in Candelabro aureo, tract. de Confess., n. 26; Manuel Sa, in editionibus integris, anterioribus Romana anni 1600, verbo *Absolutio*, numero nono, et verbo *Confessio*, numero decimo quarto. Prævit his omnibus scriptor gravissimus, Hincmarus Remensis, Opusc. 40, absolvens Hildeboldum, Suessionensem Episcopum, qui ei per litteras confessus fuerat, et per alias litteras est absolutus. Et probabilem quoque eam sententiam sunt arbitrati Joannes Medina, C. de Confessione, tractat. secundo, quæstion. decima quinta, *Dicto quarto*; Rutilius Benzoni, libro primo Speculi Episc., disput. prima, conclus. tertia. Ante Clementem item VIII, eam doctrinam probabilem potuisse videri, Suarez notavit tomo quarto, tertia part., d. decima nona, lect. tertia. Erant enim pro ea doctrina multi Theologi, nec deerant rationis præsidia, quæ mox attingam. Quidni igitur tunc dici potuerit probabilis, quantumcumque reclamet Nugnus, tertia part., quæst. nona, art. tertio, diff. 2?

Ratio non incongrua videtur eidem sententiæ suffragari. Nam sacramentum pœnitentiæ est essentialiter iudicium, in quo peccator reus, contra quam in iudiciis humanis accidit, accusans seipsum, benigne a Deo offensus habetur, et per suos vicarios, quos in hoc tribu-

nali iudices constituit, nempe per sacerdotes, absolvitur a peccatis admissis, dolore perfusus ac rite expositis. At iudicium potest exerceri inter absentes: videmus enim in foro humano plerumque ferri sententiæ in absentem, et damnationem juridicam intorqueri; sive quia post noxæ confessionem aufugit, sive quia legitime convictus est. Quidni ergo similiter in foro conscientiæ, peccator, quantumvis absens, poterit confessus esse suum peccatum, et iudice de eo absolvi? Nec tantum in foro humano profano, sed etiam in ecclesiastico, locum habet iudicium de absente: nam sententia excommunicationis est vera sententia iudicialis, quæ tamen torquetur plerumque in absentem. Et quod præsentis negotio admodum commodat, plerumque hæc sententia relaxatur absenti, ita ut reus per legitimum iudicem, exhibita debita satisfactione, absolvatur, etiamsi procul dissitus. Multo igitur magis congruum videtur cogitare, iudicium sacramentale de peccatis, cujus defectu homo plerumque extremo exitio involveretur, ita a Christo institutum esse, salva essentiali forma iudicii, ut possit absentibus ab invicem, peccatore reo et sacerdote iudice, exerceri. Et vero hoc iudicium, si exerceatur per epistolam, videri posse factum inter præsentis, monstrant illa sancti Hieronymi, epistola 42: [Turpilius comicus, tractans de vicissitudine litterarum, sola (inquit) res est, quæ homines absentes, præsentis facit. Nec falsam dedit, quanquam in re non vera (*hoc est comædia*) sententiam. Quid enim est, ut ita dicam, tam præsentis inter absentes, quam per Epistolas, et alloqui et audire quos diligas?] Etiam Cascos ante chartarum usum adinventum, sic se sibi præsentis fecisse, et mutuo alloquia miscuisse, ait, adhibitis in ligno dedolatis codicillis, aut corticibus arborum; unde *tabellarii* dicti, qui tabellas illas gerebant, et *librarii* qui scribebant in libris, sive corticibus arborum.

Hæc sententia exploditur. — Quamvis autem hæc sententia olim fuerit probabilis, tamen post Clementem VIII, neque possibilis est, neque toleranda. Explosit enim illam Clemens in decreto quod emisit anno 1602, iunii 19, de quo inferius. Aliqui volunt idem esse constitutum cap. *Quem pœnitet*, de Penit., dist. 1, quod caput depromptum est ex credito Augustin., l. de Vera et falsa pœnitentiâ, cap. 10. Ibi enim dicitur confessionem debere fieri ore et voce. Idque ex Doctoribus ac Conciliis multipliciter firmat Comitulus,

l. 1 Respons., quæst. 16. Hæc tamen probatio non est revera efficax. Posset enim confessio fieri ore ac voce, pœnitente per seipsum exponente sua peccata confessario præsentis, dilata tamen absolutione ad tempus implendæ per pœnitentem eujuspiam conditionis, qua posita, confessarius per litteras absolutionem esset missurus. Ex eo igitur quod confessio debeat fieri ore, non sequitur formam quoque sacramenti debere voce ac ore peragi; atque adeo non sequitur sacramentum integrum excludere litteras, et secundum omnem sui partem ore ac voce esse obeundum. Non est efficacior alia probatio ab auctoritate, quam adhibet Scortia in Epitome Selectarum Constitutionum, theorem. 404, constit. 163. Profert hic auctor testimonium Concilii Tridentini, sessione decima quarta, capite secundo, docentis unumquemque lapsum teneri se sistere coram tribunali sacramenti pœnitentiæ. Hoc tamen nego urgere; quia facile dici posset omnem qui sacramentum pœnitentiæ suscipit, sistere se coram tribunali hujus sacramenti, quamvis non præsentis, sed absens illud suscipiat. Sicut qui in absentia per litteras expetiit exolvi ab excommunicatione, et reipsa exolvitur per litteras, dici potest stitisse se coram sacro tribunali, ut absolveretur nexibus excommunicationis: esto, in rigorosa vocis notione Ulpianus, libro secundo Digestis, *Si quis caution.*, dicat, absentem non se sistere. Itaque si auctoritate agendum est adversus confessionem epistolarem, de qua agimus, sat est urgere auctoritatem decreti Clementis VIII, quod non est dubium quin confessionem epistolarem, qualem hic excutimus, profligari.

Usus Ecclesiæ perpetuus nunquam absolvendi sacramentaliter nisi præsentem. — *Scribendo alteri, censetur cum præsentem agere, sed fictione quadam.* — Jam si adversus eam confessionem ratione agendum sit, seponendæ sunt variæ rationes imbecillæ, quales addensat Comitulus, l. 1 Respons., quæst. 16, quas ibi legendas dimitto, ne absque fructu chartas impleam. Unica sed potentissima ratio ducenda est ex Christi institutione, quæ fert ut sacramentum pœnitentiæ inter solos præsentis consummetur. Ita enim colligitur ex veritate formæ hujus sacramenti, comprehensa verbis illis: *Ego te absolvo*. Hæc quippe verba non possunt humano modo dirigi ad absentem. Quis enim compellat absentem, adhibito pronomine illo *te*? Itaque ut hujus sacramenti forma subsistat, exigitur sacer-

dotis et pœnitentiæ præsentia, atque utriusque propinquitas, sufficiens ad humanam colloquutionem sacerdotis cum pœnitente, et hujus designationem sensibilem, quæ inter absentes locum non habet. Roborat optime hanc rationem usus Ecclesiæ perpetuus, nunquam absolvendi sacramentaliter nisi præsentem. Nam alias quidem absolutiones conferri plerumque solitas absenti, multis demonstrat Joan. Bagotius, dissert. 2 de Pœnitentiâ, c. 11, sess. 1. At sacramentalis soli præsentis semper est collata antiquis temporibus. Intellexit enim Ecclesia absolutionem aliter impensam non posse cum veritate formæ cohærere; neque illud *te absolvo*, habere posse locum inter absentes. Quod enim aliquando in litteris ad absentem directis, dicitur: *Te saluto*, vel: *Te salutatur talis amicus*, idcirco fit quod fictione quadam, scribendo alteri, censetur cum præsentem agere, quamvis reipsa non agamus cum præsentem, ut fit quoties adhibendo vocem, alloquimur alterum. Et ita recte Præpositus tertia parte, quæst. 6, dubio tertio, numero decimo sexto. Itaque absolutio prolata voce, per *te*, soli præsentis addicitur.

Hallucinantur autem qui pro praxi antiqua absolvendi sacramentaliter absentem, allegant factum S. Thomæ Cantuariensis, quem Scotus in 4, d. 17, ad finem, et S. Antoninus, 2 p. Summæ histor., tit. 17, c. 3, § 1, referunt, mississe Romam ut exoraret absolutionem. Id accipiendum est de absolutione a censura, quæ absolutio potest in absentem cadere; vel certe accipiendum est de petita facultate absolutionis a peccato reservato, conferendæ per sacerdotem delegatum pœnitenti præsentis. Æque alienum est a præsentis negotio, quod aliqui adducunt ex cap. *Qualis*, 30, quæst. 5, ubi dicitur recipiendam esse cujusdam adulteræ pœnitentiâ, per scripturam. Hoc dico perperam in hanc causam adduci. Non enim sensus illius capitis est, talem adulteram mundandam esse a labe peccati per absolutionem scripto transmissam; sed, ut habent codices correcti, mandatur tradendam esse illi adulteræ scripto comprehensam multam iudiciale, ad quam ob scelus illud erat adigenda. De absolutione autem sacramentali a peccatis, nihil eo loco habetur. Itaque non est legendum: *Pœnitentiâ illius scripto recipienda*; sed: *Pœnitentiâ illi per scripturam recipienda*, ut habent Capitularia, l. 7, c. 127. Recte igitur affirmabam antiquum Ecclesiæ usum nunquam tulisse ut absolutio per litteras conferretur a sacerdote absente, quia (ut dice-

bam) Ecclesia probe perspexit, directionem illam formæ ad pœnitentem sensibilibiter designat pronomine *te*, essentialiter contento in forma sacramenti, non posse cohærere cum absentia pœnitentis.

In forma sacramenti pœnitentiæ involvitur essentialiter pronomen te. — Aio in forma hujus sacramenti involvi essentialiter pronomen *te*, notans præsentem. Perperam enim Henriq., l. 4, c. 11, n. 1 et 3, ac si qui alii, jure rejecti a Bonacina, disp. 5 de Sacram., q. 4, p. 2, n. 10, et a Filliucio, tract. 6, num. 66, arbitrati sunt pronomen *te* posse expungi e forma absolutionis, sicut expungi potest pronomen *ego*, salva formæ substantia et validitate. Hoc perperam asseri dico. Est enim latum discrimen inter illa duo pronomena: nam pronomen *ego* satis involvitur, imo exprimitur per verbum primæ personæ, *absolvo*; quod non potest dici de pronomine *te*. Atque adeo essentialiter ad veritatem et validitatem formæ exigitur expressio particulæ *te*, præsertim si omittantur illa consequentia verba, *a peccatis tuis*, quæ non esse de substantia formæ asserunt Cajetanus, verbo *Absolutio*; Sylvester, verbo *Absolutio*, 6, q. 4; Navar., c. 26 Manual., n. 2; Valent., disp. de Sacram. pœnit., q. 2, punct. 3; Suarez, tom. 4, tertia parte, d. 19, sect. 1, n. 21; sed sive illud *te* omnino sit adhibendum, sive sufficiant verba illa, *a peccatis tuis*, quæ, relicto illo *te*, dicantur essentialia formæ, semper verum manet quod directio formæ sacramenti pœnitentiæ fieri essentialiter debeat ad præsentem, qualis designatur pronomine *te* in forma passim recepta. Nec licet tricari de forma Græcica his verbis concepta: *Absolvitur servus Christi*. Certum enim est hæc verba non facere sensum deprecativum, qui formam irritam redderet, ut recte statuit S. Thomas, Opusc. 22, c. 1 et 2, subscribentibus Petro Soto, lect. 4 de Confessione; Valentia, disp. de Pœnit., q. 1, p. 3; Suarez, tomo quarto, tertia p., d. 19, sect. 1, n. 25; et ex Græcis ipsis Petro Arcadio, l. 4 de Sacram., c. 3, passimque Theologis, qui norunt de fide esse formam hujus sacramenti esse judiciale, ut definitum est in Tridentino, sess. decima quarta, can. nono. Unde quia unius sacramenti est unica forma, et illam vulgo receptam, tam diuturno Ecclesiæ usu probatam, certum est non esse falsam, necessario fatendum est non discrepare sensu ab ea, sive formam illam Græcicam, sive illas quas validas esse posse admittit Suarez su-

pra, num. 24: *Absolvo Petrum a peccatis*; et: *Absolvitur Petrus a peccatis*. Atque ita semper excluditur directio formæ ad absentem.

Verum est, exeunte superiore sæculo, paucos aliquos, ex tam multorum Scholasticorum et Moralium Theologorum sensu, pressos gravissima persecutione quæ sacerdotes a pœnitentibus elongabat, adductos esse ut doctrinam illuc usque speculative duntaxat propositam, revocarent ad praxim; ita ut confessionis sacramentum, etiam collata absolutione, consummarent per litteras; quod illustris inter Christi Confessores, Gulielmus Critonus, factitatum a Catholicis carcere conclusis in Anglia et Scotia, me audiente referebat. Hoc admitto factum esse eo tempore, et factum esse absque peccato, quia fiebat bona fide, ex sensu gravium Doctorum, et aliqua rationum verisimilitudine. Factum tamen est invalide, quia fiebat contra Christi institutionem, adversus quam non potuit præscribere necessitas injecta ab hostium fidei persecutione, intercludente pœnitentium et sacerdotum præsentiam. Esto, si duntaxat lex Canonica aut Pontificia eo usu interdixisset, fas fuisset, ratione urgentis necessitatis, aliter facere, et quidem valide. At contra Christi institutionem, perpetua Ecclesiæ praxi vel insinuatam, vel compertam, nihil tale allegari potest.

Qui consentiant in epistolari confessione rejicienda. — Consentiant in hac epistolari confessione rejicienda, Scotus, Gabriel, Basolis, et alii omnino multi, in 4, dist. 17; Cajetanus, verbo *Confessio*, conditione 11; Victoria, in Summa, num. 171; auctores Catechismi Romani, cap. de Confessione; Toletus, l. 3 Summæ, cap. 6; Valent., 3 p., d. 7, quæst. 11, pag. 1; Fagund., in 2, Eccles. præcept., l. 2, cap. 10; Ægid. Coninch., disput. 4 de Pœnit., dub. 10; Henriq., l. 5, cap. 2, num. 7; Comitulus, l. 1 Respons., q. 16; Vasquez, 3 p., quæst. 91, art. 3, dub. 2; Scortia, adducens plerosque alios in Constit. Pontificum, theorem. 404; Suarez, tom. quarto, tertia parte, d. 19, sect. 3, num. 7; ex quo liquet, quod isti recens impingitur circa doctrinam de confessione epistolari ab eo improbabiler traditam, non pertinere ad hanc confessionem, quam ipse tam diserte ac explicate refellit.

Respondetur argumentis pro confessione epistolari propositis. — Argumentis pro hac confessione epistolari supra propositis non est

difficile respondere. Et imprimis, perperam æquiparatur judicium humanum sæculare, cum judicio de peccatis, in foro conscientiæ, inter pœnitentem reum et sacerdotem judicem, obeundo. Christus enim, institutor hujus judicii, et summus in hoc foro præses, potuit velle ut hoc judicium non nisi inter præsentem consummaretur; cum alias ob causas; tum ut judex hujus fori, qui patrem quoque et medicum debet agere commodius has partes obiret, vel audito coram pœnitente, vel saltem non prius absoluto, quin se humiliter sisteret judicandus. Id quod ex parte hominis rei, ad salubrem pudorem, quo suffusus pœnitens facilius respiscat, conferre non parum potest. Multo enim verecundius est reo per seipsum, coram iudice, aperire peccata sua, quam de iis ex scripto vel per intermedium agere. Has igitur aliasque similes ob causas, voluisse Christum, ut hoc sacramentum inter absentes non consummaretur, ut fert constans traditio et usus Ecclesiæ, colligimus manifeste ex verbis formæ sacramenti hujus; quæ non sonant moralem duntaxat præsentiam pœnitentis et sacerdotis, sed etiam physicam, qualis est inter duos colloquentes, quamvis judicium humanum sæculare quod non ordinatur ad bonum pœnitentis, sed ad ejus castigationem, aliter se habeat. Alia item ratio est judicii Ecclesiastici in foro contentioso, cujusmodi est judicium per irrogationem censuræ, et exsolutionem ab ea; quia cum hoc judicium præcipue spectet vindictam in reum, et terrorem, non est mirum quod aliam habeat formam quam judicium sacramentale pœnitentiæ. Unde censura sicut potest in reum compertum, tametsi absentem, vibrari, ita et relaxari potest eidem quantumvis dissito, ac etiam (quod plus est) invito, vel etiam defuncto. Quæ omnia monstrant latum esse discrimen inter hoc judicium, et sacramentale, de quo agimus. Quod denique dicitur per epistolam fieri præsens, translaticium est; nec sanctus Hieronymus aliud habet, quam hanc esse *præsentiam inter absentes*; quod additum infringit argumentum in hanc rem ex eo loco petitum.

CAPUT III.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM NE EX PARTE QUIDEM EXPRESSIONIS PECCATORUM POSSE ESSE EPISTOLARE, QUI CENSUERINT.

Quod totum et integrum Sacramentum pœnitentiæ, quoad utramque ejus partem essen-

tialem, non possit per epistolam confici, monstratum est, et ex dictis de toto ac integro sacramento, patet quid statuendum sit de sacramento pœnitentiæ, sumpto quoad ejus partem primariam, hoc est, quoad formam. Nam, eo ipso quod forma actu adhibetur, manet saltem moraliter materia proxima, ex qua compingendum est sacramentum, nempe actus pœnitentis circa peccata, de quibus fertur absolutio. Atque ita per applicationem hujus formæ, sacramentum consummatur, estque plane perfectum et integrum, quale jam diximus non posse per epistolam fieri.

Confessioni epistolari adversantur recentiores Thomistæ. — Conclamant in hujusmodi epistolarem confessionem recentiores Thomistæ, præsertim Alvarez 1. 2, quæst. 19, art. 6, disp. 80, in difficultate addititia; Nugnus, 3 p., q. 9, art. 3, difficult. 2; Petr. Fay, in addit. ad 3 p., quæst. 9, art. 3, disp. 3; Vincent. Candidus, in disquisitionibus mor., disp. 3, art. 15, dub. 1; Francisc. Hyacinth. Coquefius, dissertatione de Confessione facta absentis, a c. 5; Francisc. Davila, tract. de Confessione per litteras vel per internuncium, c. 2, qui alios plerosque similiter opinatos adducunt. Extra scholam D. Thomæ, idem tradunt Angelus, verbo *Confessio* 1, § 32; Angles, in 4, quæst. de Confessione, difficult. 8; Carthus., in 4, dist. 17, q. 4; Gabriel., quæst. 1; Scotus, quæst. unica; Navar., cap. *Fratres*, de Pœnit., dist. 5, num. 94; Aphonsus de Leone, tract. de Potest. et officio confessarii, recollect. 6, num. 123. Citantur etiam in id Fagundez l. 2 in 2 Eccles. præcept., c. 10, n. 5; Turrian., q. 9 de Pœnit., art. 2, disp. 32, dub. 4, et Toletus, l. 3, c. 6. Sed quod Thomistæ prædicti, in hujus doctrinæ insectatione præ cæteris efferbuerint, relegam eorum vestigia; et quæ contra expressionem peccatorum, absentis in quacumque necessitate factam protulerunt, cum fide referam.

Nisi saltem aliquatenus renovetur in præsentia sacerdotis. — Expositionem ergo peccatorum sacerdoti absentis factam, nisi saltem aliquatenus renovetur in præsentia sacerdotis non esse sacramentalem, nec ex ea posse compingi validum sacramentum, contendunt Thomistæ prædicti. Dixi: *nisi saltem aliquatenus renovetur in præsentia sacerdotis*, quia Nugnus diserte monet validam fore sacramenti confectionem, si pœnitens qui per epistolam exposuerit peccata sua confessario, postea in ejus præsentia constitutus, dicat: *Accuso me apud te de peccatis in epistola ad*